

**DE EMINENTE  
DOMINIO AD L. SI  
QUANDO. 9. COD. DE  
OPER. PUBL.  
DISCURSUS, QUEM...**

---

Salomon Zapf, Johann Rudolf : von  
Bischoffwerder, Valenti Gonzaga



QIVMOCU TAKA V. 115

SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
EBERHARDO III.  
DUCI WIRTEMBERGIÆ  
ET TECCIAE,  
COMITI  
MONTISBELGARUM,  
DYNASTÆ  
HEYDENHEMI,

&c.&c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO  
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,  
PRINCEPS AC DOMINE  
CLEMENTISSIME!

**A**ntiquum satis est Persarum jus il-  
lud, quò ad R E G E M non patet accessus,  
nisi præsente munere. Etsi enim thesauros opu-  
lentissimi Regis parùm ditare queant ii, qui nec  
ipsi fèrè habent, unde vivant, quorum & illic  
maxima copia est, æstimatur tamen penes eos  
non muneris præstantia, sed obsequiosi animi  
cultus, in cuius symbolum non minùs pauperri-  
mi

372

mi uncias quam divites talenta conferre possunt. Memorant historici, quod Persae, cui Seneta nomen, nuntiatum sit quondam, Artaxerxem Mnemonem non procul a tugurio suo jam-jam transire; Huic ut obviam iret, cum postularet patria religio, & praemaniibus tamen nil haberet Monarchâ dignum, ad Cyrum fluvium accurrit, & aquam utrâque volâ haustam Regi obtulit, tantum ut obsequiosus videretur. Exigunt hoc officii genus nunc quoque Persiae Reges non minus a subditis quam exteris, uti id acta splendidissimæ legationis Holsaticæ in Persiam satis testantur, & Barnabas Brissonius, fide dignus de rebus Orientalium scriptor, comprobatur.

Potestas, quam nascendi jure haut tantum, sed & incomparabilis virtutis splendore exercitata, felicior est atque major quam ullius Barbarorum Imperatoris, cum subditorum exculta indoles ampliorem faciat Dominatus laudem.

Hinc, quod obsequium meum TIBI, DOMINE CLEMENTISSIME, abunde probarem, imitari placuit honestum Persarum ritum, ac, TE, SERENISSIME PRINCEPS, dum accedere audeo, levem hunc studiorum meorum florem ad pedes Tuos cum humillimâ obser-

servantiā deponere. Exiguum certè est, quod  
offerre possum, neque id gratuitum munus, sed  
humilimè debitum, attamen tale quod non de-  
spero clementer accepturum esse CLEMEN-  
TISSIMUM PRINCIPEM, eò quòd Be-  
nignitatis TUÆ laus tanta, ut eidem diffidere  
velle crimen propemodùm queat æstimari. In-  
terim DEUS TE SERVET ad arbitrium fe-  
licem!

## SERENISS. TUÆ CELSITUDINIS

*eternum devotissimum*

Johann-Rudolfus de Bischoffwerder,  
Nob. Lufatus.

Q. D. B V!

DE

## EMINENTE DOMINIO.

§. I.

**S**upremus rerum humanarum arbiter atque dispensator DEUS, cum post prima hujus universi incunabula creato noviter homini, quæ reliqua ferè creatorum erant, mancipi dedit, prima dominio jecit fundamenta. Ita verò iste Gen. I. *Replete terram eamque vobis subjecite. Dominmini piscibus mari & aribus cœli, & omni quod serpit super terra.* Quæ eadem quasi constituit post Diluvium deletō plerisque partem humano genere: *Dominmini universis animantibus, & omnes pisces maris manui vestra traditi sunt; Terror vester & tremor sit super cuncta animalia,* Gen. 8.

II.

Dicit autem istud in latâ sui significatione affectionem &  $\chi\epsilon\sigma\tau$  in morali quâdam pertinentia ad personas consistentem, tali quidem ex quâ proprietas resultat, quæ est jus alium ab usu ejusdem generis in eodem subiecto excludendi, & importat prælationem domini præ omnibus aliis in hoc jure disponendi de subiecto, ut loquitur Card. Joh. de Lugo de j. & j. d. i. n. s. Vocari potest alio generali nomine potestas, que dicit potentiam moralem activam, seu potentiam edendi actionem circa subiectum aliquod cum effectu morali: Estque ratione finis vel publica vel privata; ratione objecti vel dominium (strictiori notione, quod in rem) vel imperium (quod in personam); ratione formæ vel eminens vel vulgaris; ratione modi habendi vel communicabilis vel incommunicabilis; ratione denique effectus vel dependens vel summa, vel plena vel diminuta.

III.

Ex his verò omnibus, quæ eminens audit, nostra erit consideratio-  
nis, quibus est animus ea, quæ de nobilissimâ hâc materia, alia  $\omega\varsigma \dot{\epsilon}\nu \pi\alpha\delta\omega$ , & quasi imprudentes hinc inde spargunt, justò, non equidem volu-  
lumine, ast discursu tradere. Occasione quidem l. si quando. g. C. de  
A 2 oper.

*oper. publ.* quæ, cùm ædificia publicæ fabricæ inchoandæ gratiâ proster-  
ni atque dirui jubeat, exquisitiorem dominij eminentis explicacionem  
desiderare videbatur.

## IV.

Est igitur istud, ut ad rem accedamus, nil aliud quam potestas publi-  
ca major in id quod Republicæ sub est ad usum publicum; Vel: Est po-  
testas publica independens auferendi vel minuendi jura subditorum ad  
usum publicum. Per potestatem publicam intelligimus ejusmodi po-  
tentiam circa alterum cum effectu morali ætivam, quæ circa Rempubli-  
cam est occupata ejusque utilitatem primariò, & quæ talis respicit, estque  
fundamentum statûs publici, qui consistit in imminiatâ directâque ~~q̄~~ <sup>q̄</sup> re-  
lative relatione ad societatem civilem quæ tamē. Contradistinguitur pri-  
vatæ qualis est patri in liberos, marito in uxorem, domino in ser-  
vum &c. Additur: *Major*; h. e. transcendens, summa, independens,  
absoluta & talis, cuius actus potestati alterius in ordine hominum non  
subjacent, nec ab aliò quoquam reddi possunt irriti. Nec n. subordinata  
ea est & talis, quæ vim suam dependenter & ab aliò suprà se habeat, qua-  
lis est inferiorum magistratum, qui potestate à majestate delegatâ par-  
tem aliquam imperii exercent. Quanquam, quantum ejus exercitium  
attinet, non repugnet inferiori cuiquam demandari, cui hōc ipsō tamē  
non habitus, qui cum subjecto & xviis inseparabiliter cohæret, sed jus  
illum exequendi & exercendi nomine quidem alieno, h. e. potestate à  
mandante & concedente delegatâ competit. Ajimus: *in ordine homi-  
num*: Èd enim solō tota potestatum, quibusde loquimur, subordinatio  
terminatur. Alioquin palam est omnem potestatem à DEO eōque lon-  
gè inferiorem esse. Tandem hāc ipsā voce, *major seu transcendens*, differt  
à dominio, quo v. g. Princeps gaudet in res patrimoniales, ubi dicit *Rams*  
*intergäter*. Quodinnuit etiam l. 3. C. de quadr. preser. cùm omnia Princi-  
pis esse dicit, quem textum adeō opidō quam male ad dominium eminens  
nonnulli detorquent. Item in hoc differt à dominio quod subditis est  
in res suas. Hoc enim vulgare ac inferius est & tale cui à transcen-  
te eō cum causâ potest prejudicari.

## V.

Sed h̄c obiter ad qualemcumq; definitionis intellectum. Ceterū  
de dominio hoc exquisitus acturi videndum habemus quæ ejus origo,  
quod subj. etum, quæ causa & quomodo acquiratur, in quos & quatenus &  
quando & quib. modis exerceatur, declaretur, quæ ejus requisita, excessus,

de-

defectus & quomodo desinat. Oritur istud cum ipsa insimul Republica, ad quam, ut obiter, non metu potentia libidinisq; tyrannicæ aliorumq; perverse naturæ scelerum (signaturem ejus ortum respiciamus) sed natura hominem, tanquam τῆς Φύος καὶ λόγου ferri vel istud argumentum est, quod datum isti aptissimum justa iustaque significandi, adeoque societatem & contrahendi & servandi instrumentum deprehendamus. Ecce autem hoc à natura, quæ nil frustraneum gignit, nisi sit quo cuncti loquaris, quod non existente verò societate futurum? Quanquam ultrò fateamur (ut largitur etiam Dn. Conring. dis. de civit. & civ. in gen. th. 47. in fin.) istum naturæ instinctum non per se & immediate ad Reipubl. ferri, sed indigentia humana, quæ scopum ejus indicat, magis magisque excitari. Add. Felden. ad Grot. 1. 4. 7. ibi: sed notandum. Eleganter itaque Philosophus 1. Pol. 3. Is qui natura in societate vivere negavit, aut extrema malitia est, aut homo potior. Adde quæ in nuper edita eleg. Polit. discrit Cyriac. Lentul. part. anter. p. 162. seqq. Instituta Republica naturaliter & necessitate consequentia oritur potestas summa in singulas partes ad gubernandum ipsas. Ut n. corpus hominis, sed & cuiuslibet animalis defueret, nisi esset aliqua vis rectiva communis in corpore ad omnium membrorum commune bonum tendens; Ita multitudine hominum existente, unoquoque verò id, quod sibi proprium, providente, in diversa spargereatur, nisi esset, quod curam haberet eorum, quæ ad multitudinis bonum pertinent. Quæ cura verò sine imperio nulla foret. His positis, scil. coæcum esse cum ipsa societate civili τῷ κοινῷ μάτημα, sponte suâ sequitur ejusdem etiam juris censendum esse dominium eminens, quôde tractamus, quippe quod est ipsius inseparabilis adjunctum. Eleganter Grotius: Civili, inquit, societate ad tuendam tranquillitatem instituta statim jus quoddam majus in nos & nostra nascitur, quatenus ad finem illum necessarium est, l. 1. de j. B. & P. c. 4. n. 2. Et alibi: Consociatio, quæ multi patres f. m. in unum populum ac civitatem coœunt maximum dat jus in partes. Quod enim opus est ad societatis finem, eō utique opus etiam ad ipsam societatem, in quam finis illius gratia inmortales coœunt. Et sine quod futurum, ut nec Reipubl. status diu sit salvus, nec ipsi etiam privati res suas retinere queant, illud utique cum ipsa Republ. oriri necessum erat. Planè, invenias homines adeo perversoſ intentosque rebus suis, ut ne minimum laborante Republ. conferrent, aut opera aut rei, quibus in ordinem coercendis hac facultas cum societate nascitur.

## VI.

Gaudent hoc dominio imperantes in suâ quidem quisque Republ. & eatenùs quatenùs imperant. Qui autem isti? Nempe, qui indepen- denter tales & summa in Republ. potestatem habent. Unde suprà hoc dominium dicebatur potestas publica major, h. e. facultas moralis ~~au~~<sup>τη</sup>~~ρε~~<sup>ρε</sup>~~γο~~<sup>γο</sup>~~ης~~<sup>ης</sup> gubernandi civitatem sive summa autoritas circa ad- ministrationem Reipubl. & talis ut actus, quos edit, alterius in ordine hominum potestati non subjaceant, ~~nec à quoquam reddi possint irriti.~~

Ajimus potestatis; Ut ne excludamus eos, qui viribus impares alteri po- tentiori scedere, sed inaequali sunt juncti; Hi enim, ut ut reverentiam de- beant, alterius majestatem comiter conservare teneantur, & autoritate dignitateq; sunt inferiores, majestate tamen ipsi non minus gaudent ac li- bertate clientes, qui privato alterius patrocinio subsunt. Vid. Grot. 1. c. 3.

§. 21 l. 7. §. 1. ff. de capt. & postl. rev. Sunt isti imperantes caput civile. Quod modò simplex, si quà unicâ constet personâ, quam Monarcham dicimus, modò compositum ex pluribus ita inter se unitis, ut actio voluntasque earum pro unicâ censeatur, & representent ita personam moralem com- positam, quod contingit, quando summum imperium est penes concilium paucorum aut universorum. His dominium hoc inseparabiliter cohæret. Penes quem enim majestas est, penes eum & hoc esse necessarium est, quode ei si salva esse vult, adjunctum esse non nequit. Quod si mixtam Reipubl. formam statuimus & diciimus majestatem in partes potentiales aut subiectivas dividiri posse & solere, ita, ut pars illius juris huic soli, pars coniunctim cum aliò pro indiviso, pars alii iterum soli vel pluribus aliis pro indiviso competit (ut dicunt etiam plures, aliis omnem Rerumpubl. mixtionem è contrario pernegantibus,) Et hoc majestatis inseparabile adjunctum, quod ei in universum cohæret, sed & ad singulas ferè ejusdem partes sese extendit, ad eundem modum & in easdem partes hōc ipsō di- vidi dicendum erit, ita, ut qui potestate legumlatoria vel solus vel cum aliis pro indiviso instruetus, possit ad usum publicum cōdem modō per LL. privatorum jura minuere, alter cui jus pacis vel bellii vel factorum & ita deinceps, possit in eorundem jurium exercitio, eodem quidem modō quō habet & quo ad eadem jura dominiō supereminente uti. Sed nil de- finimus, qui item hanc nostram haut facimus, sed ex hypothesi disputa- mus.

## VII.

Rēpublicam nostram hodiernam in quâ versamur, quantum atti- uet, in confessō est τὸ κύρον esse penes esse Imperatorem & Status. Apud eos-

ture  
narr, se  
cup by  
bulbly  
avant

er, July  
ab ma  
mporalcau. A.S.  
le non potest, quia in eis

eosdem ergo & eminens hocce dominium radicaliter sit oportebit. Ceterum istud scitu facile, eodem modō Status Imperii, quatenus ut singuli & in ordine ad suam quisque ditionem considerantur, quō superioritate territoriali **Lauds Fürstlicher Hohen Obrigkeit** / (quae est analogica quædam majestas, ) gaudent, hōc etiam jure præditos esse. Deinde quoad ejus juris exercitum spectanda etiam cuiusvis provinciæ pacta concordata & consuetudines, ex quibus patebit interdum adhiberi debere statuum Provincialium der **Lauds** **consensem & vota vel deliberativa** vel decisiva, interdum iisdem opus hacten esse. Sed hæc ex **Urologia**.

## VIII.

Ad thesin ut revertamur, dicendum de causâ hujus dominii. Et certum equidem hoc est, idem istud à quō tota majestas in Republ. in subiectum imperans transfertur, esse etiam id à quō hoc ipsius nobilissimum & inseparabile adjunctum. Ut certum autem hoc, ita incertum unde ea ipsa? Dicendum videri possit primò eam ex pacto nasci, hōc ipsō quō plures familie in cœtum personamque moralem compositam coeunt. Per hanc enim unionem singulos cum singulis, si non expresse & per signa, sicut tacitè pacisci de rebus suis invicem junctis communī consiliō administrandis & ita curam facultatemque rectivam in se singulos quemque ad totam communitatem, tanquam commune majestatis subiectum, transferre, & ad non resistendum communitatis voluntati (quæ intelligatur esse voluntas majoris partis eorum hominum ex quibus ea communitas constat) obligare. Hoc porro corpus morale vel cā ratione persistere, vel eam potestatem porro paucioribus univē soli conferre. Priori easu pactum illud singulorum manere immediatam ejus causam. Posteriori verò intercedere eique subordinari ulteriore in ejus translationem, quæ fiat per subjectionem modō voluntariam, qualis sit electio, modō coactam, utputa si victi bellō victoris imperio cedunt. Similiter dominium supereminens primò nasci ex generali pacto in societatem coeuntium, quod, ubi forte expresse non fuerit interpositum, ex ipsâ coitione & societatis appetitu colligatur. Qui enim societatem appetit, appetere absque omni dubio etiam atque obligare se ad omnia ea, quæ ad finem ejus salutemque obtainendam sunt necessaria, & ita tacitè polliceri se pro salute Republicæ se suaque collaturum, quia necessitas finis in moralibus ius faciat. Qui ob sui suorumque conservationem in unum coeunt, eos hōc ipsō censeri publicam societatis consistentiam atque salutem omnibus

bus modis tanquam clypeum suæ invicem privatæ utilitatis appetere, nec curare contingens fortem sibi damnum privatum, modò illa per hoc promoveatur; Idque ob mutuam obligationem, quâ se sibi invicem ad eam promovendam eâ ipsâ coitione obstrinxerint. Et hinc Grotius: *Publicæ, inquit, utilitatæ privatas cedere eō ipso voluisse censemendum est, quô in cœrilem cœtum coierunt, lib. 3. de j. B. & P. c. 20. num. 7.* & alibi: *Con-sociatio maximum dat ius corpori in partes, quia hac perfectissima est societas, neque ulla est aetio hominū externa, que non ad hanc societatem aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare posset, l. 3. c. 5. n. 23.* Add. Thom. Hobbes (*Cyriaco Lentulo usque ad cœli & ierre offensionem capienda novitatu aridu*) elem. *Philos. de cive, Dn. Pufendorf. elem. jur. un. Fr. Victoria, Molina & alijs.* Astè contrario aliis vix hæc admitti posse vindentur, qui positis hisce proculdubio dicendum purant ipso jure naturali omnem Rempubl. esse Democraticam, nec nisi ex liberâ multitudinis voluntate, vel Aristocraticam vel Monarchicam, & adeò jus Naturæ inter homines primariò instituere omnium pessimam & imperfectissimam regiminis formam, quod verum non esse dicitur Marco Anton. de Dominis *l. 6. de Republ. Eccles. c. 2 n. 19.* Deinde & hoc dandum dicunt determinationem populi omnino præcedere debere omnes regiminis etiam Democratici formas; inde verò consici vim rectivam antè non inesse, sed acquiri demum post factam determinationem, quâ multitudo seipsum ad gubernandum eligit. Hanc autem electionem seu determinationem non habere se admodum causæ producentis majestatem, sed solum ad modum applicationis. Et quod dictum porrò de generali societatis pacto sive tacito sive expresso, ad quod inclinatione naturali, quæ ad societatem est, impellimur, illud mere passivè se habere, nec viam activè rectivam subiecto imperaturo conferte, sed dicere solam non-resistentiam & obstaculorum remotionem, seu, ut vocat M. A. de Dom. *l. c. inclinationem passivè regibilem & gubernabilem*, qua volens & lubens se lectoribus submittit populus. Dicunt igitur utique causam potestatis gubernativæ productivam immediatam & unicam esse ipsam naturam naturantem, sive DEUM, qui eam, ut tanquam contignatio & fulcimentum, àxē θαλον populi corpus sustineat, produxit, & applicandam, sed & determinandam communitati dederit. Eam tamen applicationem non magis dicere causam productivam aut negationem immediatatis quam applicatio lignorum ad ignem aut speculi ad solem. Quemadmo-dum

dum enim qui lignum igni applicat, hōc ipsō causa caloris, in lignō producti, non existit, nec facit, quō minus dici debeat calorem in ligno ab igne, cui istud applicatum, immediate, formaliter & effectivē esse id quod est, & quod potest, posse. Quemādinodūn porro, qui speculum soli applicat, hōc ipsō non efficit quō minus immediate & formaliter lumen speculo à Sole communicatum dici debeat; Ita nec populum, qui vi re Etivæ indeterminatè à DEO productæ vel seipsum, vel pauciores aut unum applicat. Positis his dicendum quoque erit de dominio eminenti, isti à DEO indeterminatè producto per subjectionem applicari concilium vel Monarcham, qui hōc ipsō tamen non à populo applicante, sed ab ipsō in immediate DEO non minus id habeat, ac à Rege dignitatem aut possessionem, qui fortè per deputatum nuncium aut Pro-Regem accepit. Et ita ferè disputat l. c. M. A. de Dom. Dn. Joh. Strauch. in disp. quad. de const. PR. Quid ergo nobis dicendum? Sanè eam controversiam, periculosa rur, ut videtur, consequentiarum refertissimam nostram non facimus, quibus sufficit ultrò citrōque disputantium sententias proposuisse, & B. Lectori certam hypothēsin eligendi optionem præbuisse, quâ deinde positâ nullō negotiō dominii eminentis causam productivam ponere & determinare licebit. Ne tamen vel in hōc solō disputationis finem neglexisse videamur, quid hāc de re sentiamus, requirenti aperiemus in confictu.

## IX.

Ex his interea patet, quot modis dominium hocce sive acquiratur sive applicetur, nempe iisdem quibus & Majestas, & cum eā ipsā, puta per usum, patientiam atque subjectionem vel coactam, quâ se subjiciunt ii, qui bello victi victoris arbitrio ac potestati cedunt, Vid. Grot. l. 3. c. 8. Vel voluntariam, eamque aut expressam, qualis est electio, aut tacitam, quō pertinet derelictio ex factis & non-factis, ut & temporis circumstantia præsumta, quâde omnino ad eas d. Grot. l. 2. c. 4. per tot. & Dn. Conring. tr. de fin. Imp. c. 19. In successione voluntatem, quæ retrò & tempore primæ subjectionis vel expressè vel tacite adfuit, aut repeti aut continuari per fictionem quandam censendum est.

## X.

Quod suprà autem diximus, dominium eminentis inseparabiliter cohædere iis, qui τῶν κυρίων prædicti, id limitandum adhuc est, ut de habitu intelligatur. Negandum enim haut est posse istud à superiore ei, qui inferior, exequendum & exercendum concedi atque delegari, cui tanquam

mento animato morali postmodum quoad exercitium competit. Vocatur ea instrumenta Magistratus, quibus, si omnium Rerumpubl. formas probè consideraverimus, vix est illa, qua carere possit. Et de cō quidem haud dubitatur, an exerceri possit à Magistratu actus dominii eminentis, cui specialiter illum exercendi potestas ab imperante summō data. Sed an jus itā sit Magistrati quā tali & hōc ipsō quō Magistratus est, itā ut non expectare debeat ulterius superioris mandatum, disputari sciūs; Negante id Boss. tr. de Regal. n. 36. qui prohibitionem v.g. ob annonam metumvē obsidionis non exportandi res extrā civitatem vel provinciam summo tantum Principi concedit, perinde ut de novis vestigalibus dīci soleat. Eum enim solum moderari atq; sic etere jus gentium posse, quod commerciis libertatem dedit. Sed contrarium verius Diod. Thuldeno videtur, qui Comm. ad C. que res exp. non deb. n. 3. Rediligenter inspectā, ait, se putare indistinctē hanc potestatem esse Concilio seu Senatui cujusque opids. Nos voluntatis esse quæstionem magis putamus; Et, ut de concedentis voluntate cō melius conjecturari possit, interesse videtur, an actus moram patiatur necne, utputā si obsidionis metus itā præcipitet, ut periculum in morā sit; Item an locorum distantia patiatur, ut citò & per tempus moræ, quam negotium patitur, superioris mandatum obtineri queat. Porrò referre videtur an actus exercendus magni sit momenti, magnumque præjudicium aut damnum subditis aut exteris exinde creari queat, annon. Ut &, an generali aliquis & laxiori mandatō gaudeat, an verò certo negotiorum generi sit adstrictus. Tandem distingui etiam potest inter id quod necessarium, & id quod expectari fortè tutius. Quibus positis omnino dicimus, videri eum, qui potestatem prospiciendi Reipublicæ vel indistinctē vel quoad certum duntaxat districtum aut negotior. genus mandavit & concessit, velle ab eodem, cui concessit, quoad districtum quidem & negotia commissa, hōc ipsō exerceri posse actum dominii eminentis qualemcunque, h. e. sive majoris sive minoris momenti, si quā periculum sit in morā, aut itā remotus sit superior, ut per tempus moræ, quam patitur negotium, ejus mandatum obtineri non possit. Quodsi verò moram patiatur negotium, tantam quidem per quam cibtineri possit superioris mandatum, & magni fortè ponderis stractus cib utilitatem publicam exercendus, tūm aut expectandum esse superioris mandatum, aut tutius duntaxat expectari. Exempla rem demonstrant. Itā ex cō quod in Epistolā D. Severi ad Fabium Chilonem (sive

Cilonem, utalii,) Præf. U. missâ diceretur, Vrbem fidei ipsius commissum esse, deducit Ulpianus in l. i. §. 4 ff. de O. Præf. V. quicquid intra urbem committitur ad P. U. pertinere videri; & porrò hoc ipsô permissum ipsi moderari pretia annonæ, dum in d. l. i. §. 11. ait: *Carnis etiam curam omnem, ut iustiō pretiō prebeatur, ad curam prefectura pertinet;* & idcō forsum suarium sub ipsum cura est, &c. Ita & ipsi Impp. Theod. Arcad. Honor. Aureliano P. U. rescribunt, potestatem ipsi esse diruendi ædificia, inchoandæ publicæ fabricæ gratiâ, quorum æstimatione infra 50. libras argenti taxetur; Econtrario verò de ædificiis majoris pretiū ad suam scientiam referri debere, ut ad eam rem Imperialis extet autoritas, l. 9. C. de oper. publ. Ex quibus iam facile de reliquis judicari ulterius potest. Conf. l. 3. §. 1. ff. ad L. Iul. de annon. Et adeò periculosa est Bartoli definitio, qui ad l. i. §. 4. ff. de O. Præf. V. indistinctè notat, per verba ista: *Committimus urbem nostram fidei tua;* liberam & plenam jurisdictionis potestatem mandari. Quid enim si Præfecto Præsidarii aut Stationarii militis etiun Comendante in eius Vestigung ita mandetur? Anne propterea, in quibusunque, etiam civilibus causis, ei omnimodam potestatem, jurisdictionem atque imperium concessum dixerimus?

## XI.

Veniamus ad eos in quos dominium hocce exerceatur. Sunt isti verbô, subditi. Ubi monendum tamen non strictiori notione subditos in specie hic intelligi, sed quoscunque qui positi sunt in conditione parendi, ut adeò hoc nomine quantum ad præsens in Republ. Aristocraticâ & Democraticâ veniant etiam cives: Excluduntur autem extranei, quos nulla obligatio ad obedientiam tenet. Dico: *quos nulla;* Exteros enim hic eos cum Grotio accipere debemus, qui nullâ ratione subditi. Danatur enim & exteri qui tamen subditi sunt secundum quid, quales sunt, qui rerum seu bonorum duntaxat aut quâ alia ratione tales sunt, personæ autem aut alia ratione exteri. De his tenendum eos catenùs, quatenus sunt subditi dominio eminenti subesse. Unde & fluit, quod Dd. statuta dispensant in realiæ & personaliæ, & dicunt, statutis, si sint personalia, h.e. verbis in personam concepta, forenses, (h.e. eos, qui extra statuentium territorium domicilium sortiuntur) nec ratione bonorum intra territorium statuentium sitorum ligari, eò quod non bona, sed personas statuentium jurisdictioni & imperio subjectas afficiant; Teneri verò si realia seu in rem concepta quoad bona in statuentium territoriosita. Vid.

Myns. 1. O. 19. Gail. 2. O. 124. num. 3. 17. Cothm. ref. 73. num. 92.  
 vol. 2. Hunn. encyclop. p. 1. t. 3. c. 5. n. 15. seqq. Exinde etiam fluit, omnes  
 in territorio existentes, licet cætera exteri, dominio huic subesse, cum sal-  
 tem eatenus, quatenus in territorio sunt, sint subditi, unde & sapissime sit,  
 ut quoties v. g. ad transportandos exercitus navibus opus est, capiantur  
 transvehentium naves, ad præstandum ei rei usum. Vid. Aut. tr. de j. int.  
 Gent. sedl. s. q. 10. Alio tamen, quantum ad præsens, obtinente in legatis,  
 quos jurisgentium ratio excipit.

## XII.

Ad exteris pertinent etiam Banniti, exules & alii commerciō societatis exclusi. Hi enim hāc ipsā exclusione ad peregrinitatem & conditionem extraneorum abeunt, & in eos, ut verè Grotius, nullum jus civitatis, nec ad eos civitas pertinet. Hos enim indignos civium commerciō judicat & derelinquit. Cedit ergò jure suō, adeoque etiam eminente dominiō. Modò tamen meminerimus intelligi hīc non debere exclusionem partialem, sed de totā civitate seu complexu summi imperii. Dein aliud etiam dicendum videtur de exilibus non actis, pœnam justam effugientibus. Tandem & hoc adjiciendum non necessarium esse, ut exerceatur hoc jus in subditos singulos, sed posse etiam in quosdam simul substantiatione universitatis, quod contingit quando pars populi ob universitatis totius salutem atq; utilitatem alienatur, quod fieri & posse & solere infra dicetur. Ad interim Dn. Conring. tr. de fin. imper. c. 19. p. m. 348. seqq.

## XIII.

Subsunt autem subditi eminenti dominio quatenus jure aliquō vel gaudent vel gavisuri. Per hoc enim dominium hoc agitur, ut ob publicam necessitatem aut utilitatem jus ipsorum auferatur vel minuatur. Juris vocabulum ambiguum, & omnia verò hīc loci excutere non vacat. Accipitur pro potentia moralis activa, seu qualitate & facultate, personæ competente, recte & cum effectu moralis in civili societate aliquid agendi. Quæ ergò iura subditorum huc pertinent? Dicendum quod omnia, sive sint quæsita, sive adhuc quærenda. Ut enim suprà diximus, & verè Grotius, consociatio & unio civilis maximum dat jus in partes, & omnia ea, quæ ad ejus consociationis finem sunt necessaria. Et quod, quæsumus, privatorum jure non est potior suprema ea lex, S A L U S P U B L I C A, cuius tanta religio atque cura, tam sancta atque antiqua ratio haberet, ut ci omnes humanæ affectiones, omniaque consilia atque iura merito

tò postponi atque cedere debeant? *Vtilitas publica*, inquit Imp. in l. 3. C. de primip. præferenda est privatorum contraria. Quoniam nempe, ut Levinus apud Livium l. 26. *Respublica incolunt & privatas res facile salvias præstat, publica perdendo tua nequicquam serves.* Et Valer. M. l. s. c. 6. *Eversa domo intentatus Reipubl. statu manete potest; Vrbo ruina penates omnium trahat secum necesse est.*

## XIV.

Ex eō quod in genere diximus, exerceri hoc dominium in subditos, colligere est, nullam nos distinctionem, quantum ad præsens, agnoscere inter eorum conditionem sive statum. Hinc & ad Ecclesiasticos atque Clericos extendere se, hujus dominii vim putamus, præsupposita scil. eā Nostrarium sententiā, quod ii non minus ac reliqui seculari potestati, quæ ita dicitur, sint subjecti. Ita & Clericos quoque abundantiam victualium habentes, ex causâ publicæ necessitatis, ad venditionem & communicationem illorum compelli posse tradit Hunnius *Encyclop.* p. 3. t. 14. c. 8. n. 6. cum ibi cit. *Garsia de Mastril.* dec. 17. n. 2. & n. 35. Steph. Grat. c. 149. num. 43. seq. Sed & ad ipsam Ecclesiam hoc extendit Fr. Marc. d. 542. n. 5. p. 1. G. de Mastr. l. 1. Grat. n. 43. l. c. teste Hunniō l. c. Quod exteriores porrò concernit, verum equidem est, principaliter & primariò in eos exerceri hoc dominium, quatenus sunt tales, non posse, & quando exerceri videtur istud in eos, plerunque confundi id, quod vi. hujus dominii sit, & quod sit vi generali simplicis & meræ necessitatis, quam sepius nobis etiā in alius, nobis non subjecti, bona & vitam jus dare, vel ex eō est colligere, quod licet cum, qui fugam salutis gratiā suscepit cum periculo vitæ nostræ sui interjectione susflaminat, interficere. Vid. Dn. Pufendorf. *jurupr. univers.* l. 1. def. 7. num. 1. in fin. Grotius, *Lactantius* & alijs. Sed & vicini domum, incendio corruptam, vel jam ignem concepturam impunè demoliri, l. 49. ff. ad L. Aquil. Diod. Tilden. ad t. C. ne quin in sua caus. jud. n. 13. Eadem igitur ratione potest v. g. Magistratus aut defensor fortalitiū, etne Obrigkeit oder Lemmendant in eius *Vestung* / *suburbia*, non ad se, sed tertium pertinentia oblidionis imminentis metu incendio dare, quod in nupero bello Sueco-Polonicō factum videoas. Nisi dicere velis jus istud ex tacitā quādam reservatione aut pactō nasci, quod ex hoc ipso, quō alieni se subditi fortalitio cuidam agglutinant, aut sibi eō in locō habitantibus fortalitium adjungi patiuntur, colligi possit. Conf. Grot. 2. 2. 10. Gentil. Adv. Hisp. l. 2. c. 20. ubi tra-

dunt quousq; res alienas ei qui bellum gerit, invitis dominis capere liceat. **A**jimus autem, **p**rimariò & **p**rincipaliter non posse dominium eminens in exteris sive forenses exerceri, ut hâc ipsâ limitatione innuamus, posse, sed & solere sàpius hoc dominium per consequentiam aut per accidens non-subditos tangere. Ità quando ob annonam aut penuriam victualium ex sterilitate aut imminente obsidione metuendam prohibetur à Magistratu frumentum aut id genus alia exportari, eâ prohibitione non tantum civitatis aut pròvinciæ mercatores, sed & finitiimi populi onerantur, unde sàpiùs querentes eos audimus, eò quòd hòc ipsò naturalis commerciorum libertas, ipsis intercludi videatur. Quæ querimoniæ tamèn, ubi ad rectæ rationis normam examinantur, movere vix possunt, cùm, etiamsi commerciorum libertatem à jure Gent. præceptam demus, ejusdem tamen præceptum etiam sit, sibi ipsi, patriæque & Reipubl. prospicere, ejusque saluti inservire, hocque ipsum sit alterò antiquius & prævalentius. Et vulgò ordo legitimus charitatis esse dicitur, ut primò omnium auctori consulatur, uti loquitur Tulden. n. 3. C. que res export. non deb. Durum, inquit Imp. Claudius in l. 6. C. de servit. & aq. & crudelitati proximum ex tuu pradiu aque agmen ortum scientibus agri tuis ad aliorum usum propagari. Et Cassiod. l. Epist. 34. Copia frumentorum debet provincia primum prodeße cui nascitur. Vid. Grot. 2. O. 2. n. 18. 19. Gentil. 1. c. 19. Bodin. 1. c. 7.

## XV.

Istud immotè tenendum, moraliter non posse dominium hoc exerceri, nisi positis certis quibusdam requisitis, quorum alterum quidem, si desit, ab initio statim facit, ut iniquè exerceatur, alterum retro & ex post factò. Sunt ista necessitas publica & resarcitio emergentis damni. Per necessitatem non intelligitur physica, sed moralis & hypothetica, quæ nos, positò, quòd velimus hoc aut istud obtineri, moraliter necessitat, & ad media obstringit. Hinc emergens aliquod periculum status publici nos moraliter necessitat ad appetitionem cujuscunque medii, quod ad profugandum istud facere videri potest, positò quidem eò quòd ex generali societatis pactò non possimus non intelligi omnibus modis status publici consistentiam exoptare & expetere. Sub necessitate tamen comprehendì etiam debet publica utilitas. Cùm enim instituta sit civilis societas non vivendi gratiâ simpliciter, sed & benè & tranquillè vivendi causâ, quod obtineri nequit, ubi semper extrema necessitatis atq; periculi volu-

mus

mus expectare, & v. finis in moralib. necessitatibus, consequens etiam est, sub necessitatibus casu, quoad motionem moralem ad media civitatis fini consequendo facientia, venire etiam utilitate. Modò tamen meminerimus, eath magnam, præsentero, evidentem aut probabilem, principaliter intentatā, non v. cerebrinam, effictam, atq; ab omni sensu remotam esse debere. Sed & debet esse talis cui aliunde provideri facilius & cum minori incoñodō non potest. Porrò etiam debet esse proportionata damno ob eam subditis infligendo. Unde iniquus esset iste imperans, qui vel ob iniuriam, eamq; longè remotam atque per mille consequentias conjecturasvè deductam utilitatem vellet subditis datum centies majus infligere, qualis esset is qui tempore pacis, nec ullā probabili imminentis belli, nedūm oblidionis, conjecturā, sed imaginariō periculō ductus accederet ad incendio danda suburbia. Religiosior hāc in re Augustus Imp. qui, teste Sueton. in ejus vitā c. 56. forum propterea angustius fecit, quod non auderet possessoribus extorquere proximū domos. Hoc item ex Grotio 3. c. 19. num. 7. addendum, utilitatem eam esse metiendam ex regimine non dominicō, sed civili. Unde consequitur dominium hocce, ut spectat quidem ad omnes res subditorum, ita tamen non spectare ad jus ex promissō bellicō natum, unde alioqui viderentur inanes omnes ejusmodi pationes, ac belli, nisi per victoriām, finiendi spes nulla.

## XVI.

Ex his dictis jam sequitur, inquit hoc dominium exerceri solius ordinatus voluptatis aut desiderii explendi gratiā, ut vel solum Achabi exemplum ob oculos ponit, qui i. Reg. 21. ob ablatum Nabotho agrum cum maximā pœnaturum interminatione reprehensus à DEO legitur. Add. quæ Lentulus in Polit. p. 344. seq. Et hāc etiam sunt, quæ P. A. de Petr. tr. de j. quæs. non toll. per princ. c. 24. & alij Vd. concludunt, non posse Principem de plenitudine potestatis tertio fine causa præjudicare, & in qu. Princ. 7. n. 3. justam & legitimam causam esse utilitatem & necessitatem publicam. Istud etiam addendum, esse qui distinguunt hāc in re inter jus subditis quæsitum ex jure Gentium vel naturali, & quæsitum ex civili, dicentes, hoc sine causâ, non item istud vi juris hujuscæ auferri ab imperantibus posse; Quæ videtur etiam esse sententia P. A. de Petr. d. tr. c. 25. n. 1. seq. Perverse tamen judiciō Grotii, qui l. 2. c. 14. n. 8. par in utrumvis jus esse imperantibus contendit, exinde, ut habet l. 3. c. 20. n. 9. quod dominium ex qualicunq; causâ ortum suos semper habeat effectus

ex ipsō jure Naturæ, ut scil. auferri nequeat nisi ex causis, quæ aut dominio insunt suâpte naturâ, aut ex dominorum factô ortum habent. Add. quæ Arniss. de j. maj. l. 3. c. 1. n. 6. Hoc aliâs expeditum videtur, non necessum esse, neque semper expedito, utilitatis aut necessitatis causam in specie exprimi, sed eam subesse præsumi: Sic statuo, inquit Perez. dej. publ. p. 97. nihil censeri optimo Principi placere nisi quod equum & justum sit. Cùm Respubl. tam præclarè de eô senserit & judicarit, ut sesuaque omnia ejus fidei ac sutela commiserit. Quæ ipsa tamen cum granô salis accipienda.

## XVII.

Sequitur alterum requisitum, quod non quidem actu & reverâ tempore exerciti hujus dominii, sed intentionaliter adesse debet, post modum verò ubi defeccerit, efficit, ut exercitium istud retro habeatur iniquum. Est istud resarcitio damni quod ex diminutione juris emergit. Vbi hujus, inquit Grot. 3. c. 19. n. 7. dominij usum res exigit, compensatio tamen facienda. Et infr. c. 26. n. 52. Sed civitas aut ejus rector tenebitur illud incommodum ei qui patitur, aut proximis resarcire. Id innuit etiam l. 3. C. pro qu. caus. serv. lib. pro prem. quæ vult pretium servorum ob utilitatem publicam libertate donatorum dominis rependi. Ratio est apud Vasquium 1. ill. c. 5. n. 1. in fin. ubi: Vnde, inquit, si rem meam mihi auferri omnibus profuit, ejus presum ut ab omnibus mihi præstetur par & juri consonum est. Ubi tamen bene per parenthesin infarcit, demi debere partem, quæ cum ipsum, qui damnum passus, attingit, h.e. ita debere resarciri ei istud damnum, ut ipse tamen, qui istud passus, aliquid pro ratâ ad eam resarcitionem conserat; Idque ex eâdem æquitatis ratione; Cuicunque enim ejus rei ablatio profuit, cuin etiam ejus rei pretium, pro eâ quidem parte & eatenus quatenus profuit, præstare par est. Jam verò, quod publicè utile est, per consequentiam non potest non ad singulorum privatorum, adeòque etiam ad ipsius damnum passi utilitatem atque commodum redundare. Fit autem illa resarcitio vel ex fisco seu arario publico, vel per singulorum contributionem. Simile contributionis exemplum habemus in iactu mercium in mare, qui si ab unô pluribusve pro omnium salute atque commodo fuerit factus, debet rei iactæ pretium, ubi ad litus & portum fuerit ventum, ab omnibus pro ratâ rependi. Idq; L. Rhodiâ cautum. L. Rhodiâ, (inquit Paulus in l. 1. ff. ad L. Rhod. de jact.) caverit, ut si levanda navis gratia iactus mercium factus est, omnium con-

tributione sarcinatur, quod pro omnibus datum. Vocatur istud pretium in Gentium Europæ jure nautico A V A R I A, eò quod (ut putat Boxhorn. in Epist. Vinn. com. sup. Peck. de re naut. prefix.) in portu, in Haven / solvatur. Dicitur etiam avaria grossa ad differentiam avarie communis. Ita tamen hæc resarcitio facienda, ut & ille ipse, cuius merces jactæ, pro rata aliquid conferre intelligatur. Vid. Vinn. d. not. ad Peck. l. 1. ff. ad L. Rhod. n. 4. lit. C. circ. fin. Similiter etiam urgente incendiō, si domus aliqua diruta fuerit, cæterarum conservandarum causâ, id damnum sarcinendum esse à vicinis, ad quos verisimiliter ignis per venturus erat, communiter à Dd. statuitur, argumento ducto ex d. l. 1. & 2. in fin. pr. ff. ad L. Rhod. de jaēt. & æquissimum est. Vid. Gail. 2. O. 22. & ibi cit. Duar. c. 2. ad L. Rhod. Stracch. tr. de naut. p. 5. scit. sed nec est. Dn. D. Lauterbach Patr. nostr. immortali Obs. colendum, in pral. ff. ad t. ad L. Rhod. de jaēt. §. 13. & ibi cit. Hahn. ad Weseemb. ff. d. t. Bocer. de regal. c. 3. n. 249. seq. ubi plures casus recensent, quibus similis contributio locum habet.

## XVIII.

Quomodo autem & à quibus hæc resarcitio exigenda, ulterius desumi potest ex l. 12. C. de oper. publ. Sed & ex ulteriori analogiâ à jactu in mare ductâ. Ex d. l. 12. apparet, hœc pacto impendia esse ordinanda, ut adscriptio currat pro viribus singulorum, deinde adscribantur pro estimatione damni territoria civium, ne plus poscatur aliquid quam necessitas imperaverit, nevè minus, sed par cunctis præbendorum sumtuum necessitas imponatur, nemini excusatione vel alia præsumtione ab hujusmodi immunitate præbendâ. Scilicet ad hoc onus & contributionem omnes cives, etiam privilegiati, teneri videntur, nemine excusatō l. 7. C. d. t. habitâ tamen ratione fundorum quos quisq; possidet & id genus aliorum. Vid. Perez. ad d. t. C. de oper. publ. n. 11. Eodem planè modo ad resarcendum damnum ex jaētu omnes, quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere dicitur in l. 2. § 2. vers. quasita. ff. ad L. Rhod. de jaēt. unde & porro deduci potest, quid de iis statuendum, qui merâ paupertate depresso, contribuere non possunt. Nempè commune aliis omnibus hoc detrimentum erit. Conf. l. 2. §. 6. ff. ad L. Rhod. de jaēt. & ibi Peck. n. 3. Dn. D. Struvium, Academiam Salanæ immortale decus, Præceptorem nostrum immortali observantiâ colendum, Exerc. 20. th. 29. ad ff. .

## XIX.

Illud h. l. quæri potest, an resarcitio ea debeat necessariò esse æquipollens juri ablato, an verò sufficiat aliquid modici duntaxat rependi? Putamus justam esse debere atque damno illato, quoad moraliter possibile, respondentem. Rationem adsignat P. A. de Petr. d. rr. p. 583. n. 51. Sufficere enim quòd quis ex causâ publicæ utilitatis privetur jure suo, æquum adeò esse, ut gravatus in hoc relevetur per justi pretii refusionem; Ajimus: *quoad moraliter possibile*. Contingere enim potest, ut moraliter impossibile sit damnum aut æstimari aut resarciri ~~adq; modò ratione~~  
& à parte subjecti damnum dantis, modò à parte ipsius damni. Istud, si quā Respubl. tantà necessitate & periculis premitur, ut vix habeat, unde feiplam conservare adhuc possit, nedum ei resarcitioni par sit. Et hōc casu cum Grotio dicendum, exserere se quasi sumpitam obligationem, quandocumque copia suppetere cœperit, h. e. differri debere eam resarcitionem, usquedùm ad meliorem fortunam pervenerit Respubl. Ad exemplum scil. ejus, quod de iis, qui beneficiorū competentiæ gaudent, dicitur, eos nihilominus solvere teneri, quando facere posse cœperint. Hoc contingit, (scil. à parte ipsius damni impossibilem esse justam resarcitionem) quando damnum aut per se aut ob sui magnitudinem æstimari non potest. Et tunc, quoad æquitas suadere videbitur, præmiis loco aliquid vel ipsi damnum passo, vel, eò fortè non amplius existente, iis ad quos istud sese porrexit, dandum esse videtur, quod vel in honore vel in pecuniâ aliavè utilitate consistat; Ad illa pertinent, v. g. prævilegium, Nobilitas, titulus honoris, laus, jus civitatis, officium, trophæa, arcus triumphales, templa, imagines & statuæ, quales viris strenuis in Rom. præsertim Republ. decretæ & positæ, testibus exemplis Horatii Coclitis, Mutii Scævola, aliorumque, add. l. 2. §. 43 de O. j. Liv. l. 2. & Historicos passim. Ad hæc pertinent donationes rerum & mobilium & immobilium, feuda, commendaturæ (quæ emeritis olim ordinum equitibus concedebantur) beneficia, & alia, quæ prosequuntur exactius ii, qui de præmiis exprofessò. Circa hujus etiam resarcitionis (quod probè attendendum) considerationem semper istud ob oculos versari oportet, quod dicitur, in moralibus non dari punctum sine latitudine, nec posse semper in civili societate exactam eam Mathematicam proportionem aut æqualitatem obtineri. Deinde dixerimus etiam, ad exemplum contributionis ob jactum, in eâ æstimatione non haberí debere rationem lucri,

cri, sed damni tantum, & sufficere iis, quorum jura imminuta, ex cā immi-  
guatione nullum dāmnum sentire. Dicitur istud in l. 2 §. 4. ff. ad L. Rhod.  
de jact. ubi vid. P. Peck. & Vinn. n. 1. lit. d. Et inde justificari posse pu-  
tamus, id quod sēpē in puncto hujus resarcitionis iniquissimum videtur,  
puta, quando v. g. tempore annonæ coguntur divites ad vietualium vē-  
ditionem, statutō tamen à Magistratu longè minori pretiō, ac, absq; hoc  
statuto fuisset, res venire potuissent. Id, ajius, iniquum non est, mo-  
dō respiciatur ad id pretium earum rerum, quō ab initio emtæ, cūm suf-  
ficiat, eos ex hac venditione dāmnum non sentire, ut ut fortē lucrum ipsis  
hōc ipso intercipiatur. Ita & judicari potest de casibus, quando propterea,  
quōd per actum aliquem dominii eminentis planē nullum nobis da-  
mnum actu & verē infligatur, sed solū futurum aliquod speratumque  
lucrum intercipiatur & antevertatur, planē nulla resarcitio fit.

## XX.

Ei, quod diximus, necessariam esse dānni resarcitionem, addendum  
adhuc est paucis, dupliciter istud non procedere. Nimirū primō, quo-  
ties culpa aliqua nostra dāmno ei causam præbuit. Tale enim dāmnum,  
cūm per interpretationem & moraliter pro dāmno non habeatur, eō  
quōd dāmnum paſlus istius resarcitionem suā culpā & tacitā quādam  
compensatione jam antevertisse censeatur, ideō queri ulteriū non po-  
test de eō. Vid. l. 203. de R. j. c. dāmnum. 86. de R. j. in 6. Et hinc fluere  
putamus etiam id quod Dd. dicunt, in casu l. 14. C. de oper. publ. l. 6. C.  
eod. estimationem diruti & dificili non deberi, quod locum publicum oc-  
cupavit, aut itā mēnibus est agglutinatum, ut insidias hostium tegere  
possit, aut incendio causam præbere. Vid. Diodor. Tuld. n. 4. com. ad  
d. l. Perez. n. 4. eod. Deinde advertendum, vix procedere h̄c, quā dixi-  
mus de requisitis, in dominicā Reipubl. formā, (quam dari & iniquam Non entis  
haut esse alii demonstrant) in quā posse imperantem, etiam extra utilita-  
tem communem, subditis, quantum libuerit, detrahere, nec ad resarcitio-  
nem teneri, verissimum est. sunt a fort

## XXI.

Et hactenū de sēpimentis atque limitibus, qui dominium hocce,  
alioqui infinitum ac tyrannicum, intra justitiae & equitatisque terminos  
coērent, quibusque neglectis, nullō modō absque iniuitatis notā pos-  
sunt eō imperantes uti. Unde & P. Ant. de Petr. c. 24. num. 112. seqq. &  
alii plures ab eō citati concludunt, Principem nec legem condendo jus

tertio auferre posse sine causâ, & Wahrem. ab Ehrenberg. c. 15. de reg. subsid & on. subdit. n. 16. dubitat, plenitudo potestatis, num ab homine, an à Diabolô sit profecta, quando scil. ad malum & injuriam extenduntur. Unde & merito Perez. de j. publ. p. 97. Adulatrii, inquit, Iureconsultos, qui persuadent omnia esse Principis, omnia ei licere, summanque ejus & liberam esse potestatem. Hinc iam judicari potest de exemplis, quorum, age, videamus quid congeri possit, non tamen ita, ut quicquid quocunq; modò publicæ utilitatis gratiâ fit, huc trahamus, quod esset dominium hocce, potestatem extraordinariam & subsidiariam, cum ipsâ majestate ejusque partibus confundere. Principio tenendum, jus subdito vel esse quæsumum vel adhuc quærendum. Hoc vi suâ eminentia dominium antevertit, quando v. g. subditis venatione interdicitur. Istud competit subditis ratione personæ vel rei. Quod ratione personæ, Nostratisbus jus personarum audit, & minuitur, ubi v. g. quis obsecro voluntate ejus, qui imperio pollet, hosti datur. In summ. o. inquit Grot. l. de j. B. & P. 20. n. 52. civili imperio comprehenditur & jus in actiones subditorum, ut in bona. Et verò imminuitur hōc ipso ei, qui obsecro datur, naturalis libertas eundi, redeundi &c. dum scil. per ea, quæ ibid. Grot. fugere ipsis non licet, & est adeò ea obligatio libertati inimica. Adde quod periculo vita idem etiam exponatur, Aut. tr. de j. int. gent. part. 2. sect. 10. q. 14. Alber. Gentil. l. 2. c. 10. Grot. l. 3. c. 4. §. 14. & cap. 1. §. 18. Reliqua jura personalia, quæ fortè hōc ipso à parte necessariorum imminuuntur, ut taceamus. Ita intervertitur etiam domino jus, quod ipsis erat in servum, si quæ fortè publicæ utilitatis gratiâ servus libertate donatur. Vid. l. 2. 3. ult. C. pro quib. caus. serv. pro prem. lib. junct. l. 14. C. de pñ. Ita etiam adimitur jus civitatis, si quæ subditus veletiam pars populi, suadente id totâ universitatis necessitate, alienatur ab eo, qui jus summi imperii habet. Quod quidem fieri an possit? controvertitur. Vid. Grot. 2. c. 6. n. 4. Vasq. 1. controv. 5. Nos nulli dubitamus quin possit, in cā etiam Republ. quæ instituta primariò ad utilitatem populi, imò, quod plus est, etiam sine alienando-rum consensu. Quodsi enim pater & oppignorare & vendere filium potest, ubi alia ratio illum alendi non suppetit; Quidni liceat etiam hoc ipsum imperantibus in imperio, quod paterno quoad finem simile? Deinde verum est in omni civitate, etiam maximè civili, quemlibet saluti publi- ce esse obstrictum & re & corpore, quare ergo videatur iniquum ut universitatis causâ pars damnum faciat, & ferat, quod inutari non potest ob-

reliqui corporis sautem? Conring. tr. de fin. imper. l. sup. cit. Ita nec Mea dicus dubitat abscindere membrum, ut reliquis sua confiteat temperies! Nec est, ut cum Vasquiō objicias, liberos homines non esse in commissario; Nam ita non ipsi homines, sed ius regendi cum territorio alienatur! Tandem etiam hue pertinere putamus easum, quō ad evitandum immensas civitati excidium, civis innocens deseritur, quin & in hostium manus traditur, etiamsi ipse repugnet. Id enim licere contra Vasquium & Dom. Soto probat recte Grotius 2. de j. B. & P. 25. n. 3.

## XXII.

Jura, quæ subditis ratione rei competunt, jura rerum dicuntur, & sunt vel in re vel ad rem. Inter jura in re eminent principalissima ea species quæ dominium vulgare dicitur. Et istud per eminentem dominium aut plenē subditis admittitur, aut minuitur solum & restringitur. Adimi solet quoties v. g. suburbia incendio destruuntur tempore belli vel obsidionis imminentis. Jovius: Galli, inquit, obsecrō à Cesare Mediolano, abhortante Grittō Venetō, necessariā, sed miserabili, ratione suburbana edificia incenderunt, ne his adponenda castra uteretur Caesar, & propriū & tuiū, regentibus rectiū, muro succederet. Simili ratione Vercingetorix apud Cæsarem l. 7. de Bell. Gall. legitur sualisse Gallis, ut ex quo animo sua ipsi frumenta corrumperent edificiaque incenderent, quā rei familiaris jactura perpetuum imperium libertatemque consequerentur; Salutē enim causa, addens, rei familiaris commoda negligenda esse. Sic scipissime etiam edificia & quæcunque prædia pro extruendo propugnaculo, pro ampliandis fossis, ad defensionem omnium, vel destrui vel in aliam formam mutari ac muniri, hortos, fundos, & quæcunque prædia in usus publicos transmutari videamus, eaque quidem omnia vi hujus eminentioris dominii. Huc pertinet etiam, quando alienantur ab imperantibus subditorum bona ob pacem, quod & nuperā pacificatione Westphalicā factum videas. Adi Grot. 2. c. 20. n. 7. seq. Besold. diss. dej. pac. c. 5. n. 3. Tandem etiam hoc facit introductio & approbatio usucaptionis. Per eam enim fit ut dominium alteri adimitur, alteri addicatur, boni quidem publici gratiā, quod litium multitudinem & dominiorum incertitudinem aversatur. Vid. l. 1. ff. de usurp. & usuc. pr. 1. cod. Restrigitur vero aut minuitur solum dominium, quoties prohibetur ob publicam utilitatem rerum quarundam alienatio, aut ad certas personas adstringitur, Hunn. encyclop. p. 3. t. 14. c. 8. n. 16. 17. vel ad certam quantitatem rei

emendæ, Hunn. l. c. n. 23. 24. Item quoties ordinatur ædificiorum ca-  
tio, nim. quantum intervallum relinqui inter nostrum ædificium & vici-  
ni vel publicas ædes debeat, l. 9. l. 11. C. de edif. priv. Similiter quoad  
modum altitudinis Gomez. ad L. 49. Taur. Coras. 3. miscell. c. 24. 25.  
ad avertenda scil. pericula incendi aut ruinarum Add. Christ. Besold.  
d. de j. rer. c. 4. num. 2. in fin. Item quando quis necessitatē tempore  
esculentæ & id genus alia vendere cogitur. Hunn. encyclop. p. 3. t. 14. c. 8.  
n. 4. seq. Quando viâ publicâ fluminis impetu aut ruina amissâ tenetur  
vicinus proximior præstare viam ex agrō suō, l. 14. §. 1. ff. quem serv. am.  
Et tandem quoties absque superioris consensu prohibetur aliquis fundo  
suo segitutem imponere, ut in hoc Ducatu videoas, ubi Seren. Wirtem-  
bergicus prohibuit, ne ædes vel aliae subditorum res immobiles novâ ser-  
vitute vel censi irredimibili prædiali sine ipsius permissione, aut Præfe-  
ctorum atque judicum consensu, adficiantur & graventur. Vid. Wirtemb.  
Landr. tit. Vom Kauffen und Verkauffen. 9. §. Gleicher Gestalt. Landes-  
Ordn. t. 15. §. ult. p. 33.

## XXIII.

Jus ad rem sive obligatio vel ex contractu vel ex delicto oritur. Illa  
minuitur vel aufertur quoties contractus cum subditis initia Principis  
parte non servantur. Grot. 2. c. 14. n. 9. Item quando Princeps privilegia  
revocat; eō enim casu minui solet jus ex donatione qualitum. Grot. 2.  
c. 14. n. 23. Hunn. encyclop. p. 1. t. 6. n. 17. Hęc, scil. obligatio ex deli-  
cto, minuitur, quando v. g. Princeps remittit injurias privatis tempore  
belli illatas ob pacem Vasqu. 1. illustr. c. 4. n. 11. H. Grot. l. 3. c. 20. Petr.  
A. de Petr. tr. d. j. ques. non toll. p. Ptinc. q. princ. 7. n. 32. p. m. 576. Et  
ejusmodi sexcenta alia.

## XXIV.

Occasione limitum, quos suprà huic dominio posuimus, adjicien-  
dum insimul aliquid de ejus excessu atque defectu. Excedunt imperan-  
tes in ejus usurpatione, quoties, nullā aut necessitate aut publicâ saltim  
utilitate id exigente, in bona atque jura subditorum involant. Quasi sci-  
licet, ut Sallustius, *injurian facere, id demum esset imperiō uti.* Flagitium  
hoc potius dominationis, quam jus, ut appellat Tacitus. Et digna Ty-  
ranno vox: *Memento mibi omnia in omnes licete.* Istud tamen quæstio-  
nis est; An injustæ illi imperantium vi licitum sit subditis resistere?  
Quod rectius negatur Grotio l. 1. c. 4. num. 2. Ut ut enim naturaliter  
omnes

Omnes ad arcendam à se injuriam jus resistendi habeant, & is, qui injuriā nos paret afficere, eō ipsō nobis det jus, h.e. facultatem quandam moralē adversus se in infinitum, quatenū aliter malum istud arcere nequimus; Communis tamen utilitatis atque incolumentis omnium ratio, ut & generale societatis pactum, postulat, ut promiscuum istud resistendi jus in Republ. censeatur esse restringendum. Quid ergo? Neupè quod Euripides: *Imperia habentū perferenda insectia est.* Et Seneca: *Æquum atque iniquum Regū imperium feras.* Vid. plura ap. Grot. l. c. per tot. & Salmas. in defens. Reg. c. 5. seq. Hæc quidem de excessu. Deficiunt imperantes, ubi necessitatis atque utilitatis publicæ sunt admodum immores, & quod usu hujus sublimioris dominii præcavere atque profligate poterant, maximum Reipubl. dant damnum. In quos quidem duriusculè statuit cum allegatis à se Castrense, Johan. de Imola & aliis Fern. Vasquis, qui i. Illustri. c. 5. n. 10. Quod autem, inquit, ipfis metu cibibus licet ex causa ignavia Principi sui alteri Principi, priore reliquo, sese committere, id & verum est & tenet Castrensis &c. Ut ut enim (ut idem ille paulò antè) imperantes regulariter sint ob utilitatem atque rem subditorum, exinde tamen statim non sequitur posse eos, eā fortè neglectā, de solio deturbari. Imò invertimus; eam ipsam utilitatis & incolumentis omnium rationem naturalem postulare, ut, qui semel ad gubernandum constituti, conserventur, eō quod non tantum mali civitati procurent suā ignaviā, quantum creatur divisionum, factionum, seditionum & cladiū ex mediis, quæ ad eos tollendos suscipiuntur. Ita & Claudius Imp. Legatis Parthorum ap. Tacit. 12. annal. Ferenda Regum ingenia; nec usū crebris esse mutationes. Quod & experti Tiberio & Cajo superstites, qui sperabant sublatō Principe mitius fore imperium, cùm (sunt verba Taciti l. 4. hist.) interim intestabilior & severiore exortus esset status. Ut adeò rectè his iisdem subjungat Perez. in j. publ. p. 22. Licet fortè melior reddatur status, longè tamen graviora esse damna quam mutationis commoda, adeòque sativa esse præsentem statum tolerare, & malum ignavumque Principem consiliō & blandū moniti emendare, quam insidiū ē medio tollere vel eum regnō destituere &c.

## XXV.

Hactenū in genere vidimus tūm dominii eminentis naturam, tūm etiam quomodo, & in quæ jura & quoduscumque exerceri possit. Videamus porro, quomodo exercitium hocce subditis innotescat. Fit igitur hoc eō ipsō

ipsò quō istud ergà subjectum rectibile declaratur. Quæ verò declaratio fit modò factis & cum ipsâ executione , modò per actus quosdam monitorios executionem præcedentes, quō pertinet lex, consuetudo, statutum, edictum, rescriptum, decretum, Senatus consultum &c. Per facta & ipsam executionem declaratur, quando v. g. Magistratus absque præviâ quādam monitione ignorantibus nobis in bona juravè nostra involat, eaque auferit vel minuit. De quō monendum, fieri istud vix solere aut salutē debere , nisi ita sicer publicè expediat , ant circumstantiarum ratio viam aliam non admittat, utputa si periculum sit in morâ, si publicè interficit eū rei consilium non patescere, aut is, cui damnum infligendum, absit, vel saltem ipsi perinde sit sciat an nesciat, vel si notoriè repugnet, & si quā sunt alii casus. Sæpiissimè declarari solet per edicta , mandata, inhibitiones, durch offentliche Mandata, Gebot und Verbot/ quæ publicantur per literas publicè, veluti curia, templo, vel consimili loco publico hominum multitudine frequenti, affixas, item per verba vel ipsius Magistratū, qui subditos convocat, vel præconis, wann etwas öffentlich usser Wardt und Gassen/ Item beyin Triumfeschlag aufgerufen wird/ &c. (quem tympani pulsus tum ad terrorē, tum etiam, ut per tantum clangorem cō magis ad auscultandum excitemur, adhiberi putamus.) Vid. Magnif. Dr. D. Myler. tr. de j. & priv. Stat. Imp. p. 3. c. 40. & ibi allegat. His edictis & mandatis addi plerumque solet, quibus pœnæ atque coercitionibus contra contumaces nec parentes edicto superior sit animadversurus, quæ modò graviores modò leviores. Sic veteri solet exportatio frumenti sub pœnâ commissi, l. 11. ff. de publican. & vect. l. 1. l. 2. C. que res exp. non deb. quod est nil aliud quām rerum merciumvè calus in fiscum propter fraudem à domino admissam. Sæpiissimè deveniri etiam solet ad comminationem ultimi supplicii. Ubi quæri possit, an & quando tanta pœna determinatio superiori liceat? Ad quod, cum commodius alii cā de re alibi tractent, breviter respondemus, si strictum atque summum imperantium jus intueri velimus, dicendum quidem omnino videri, posse eos leviori cōtra delicto gravissimam præstituere pœnam, ad exemplum venditoris , cui liberum merces suas infinitō pretiō laudare, præsertim cū zgrē vendit, ut verò vendit Magistratus delictum pro statutâ pœnâ; Humanius tamen & magis è Republ. agi, si cuilibet delicto proportionata responderit pœna. Ubi tamen ineminerimus, eam proportionem non esse determinandam tantum ex ratione objeci, circā quod delictum versatur,

satur, sed præprimis metiendam esse ex publicâ utilitate vel necessitate, quam quò magis evertit delictum, cùd graviori etiam dignum pœnâ erit. Add. Sutholt. d. ad Inst. 16. tb. 37. Augustin. l. 21. de Civ. Dei c. 11. Aristot. l. 2. Polit. c. ult. in fin. Illud sciendum, cùd casu, ubi pena certa in ipsô edictô aut mandatô non exprimitur, raciè innui contra refractarios arbitriariè animadversum iri. Vid. Menoch. l. 2. arbitrar. cas. 251. Cate-rum ii, qui edicta ac manda lacerant, radunt, corrumpunt, olim 500. so-lidis, ast hodiè communiter arbitriariè puniuntur aut extraordinariè ca-stigantur. Vid. Magnif. Dn. D. Myler. l. sup. tit. in fin. pag. 375. Me-noch. l. cit.

## XXVI.

Adjiciendum h.l. est de ejusmodi consuetudinum, statutorum, edictorum &c. interpretatione. Et ex superioribus igitur præsupponendum h. est, omnia ea tendere contra juris communis dispositionem, hòc ipsò quò proficiscuntur ex eminente dominio, quod est potestas quædam ex-traordinaria, in subsidium utilitatis aut necessitatis publicæ, contra jura communia & ordinaria, scilicet exserens. Quæ verò suadere videntur, esse ea strictæ interpretationis, secundum id, quod vulgo dicitur; statuta, con-suetudines & quicquid juri communi derogat aut exorbitat strictæ interpretationis esse. Quod huc tamen applicari nequit, exinde, quòd, utut exorbitent hæc edicta &c. jurique communi derogent, respiciunt tamen & interponuntur ob utilitatem necessitatemque publicam, cuius sanè favor atque ratio longè major, quam ut strictâ eâ interpretatione de-beant concludi, præsertim cum & alias dicatur, pœnalia, correctoria, limi-tatoria & exorbitantia interpretationem, si non extensivam, saltim com-prehensivam capere, si ea fortè respectu aliquo sint favorabilia. Vid. plenè & solidè hâc de re B. Dn. Franzk. Comm. ad π. t. de LL. n. 40. 46. 50. 51. & paſsim. Dicimus igitur non esse præcisè & simpliciter nudo verborum cortici hâc inhærendum, sed & hæc edicta &c. ultrâ verborum latitudine explicari posse, si apertum sit statuentem minus locutum ac voluit, quod quidem præsertim videre poterimus exinde, si quâ, admisssâ strictiori interpretatione, superior finem suum ac intentionem principa-lē sive unicam non sit adsecurus, si ansa detur fraudibus ac edito-rum illusionibus; si absurdus fuerit edicens, otiosus, superfluus, ini-quus &c.

## XXVII.

Ex his jam deducimus (1.) Prohibitâ, vi dominii eminentis, specie v. g. armis, navibus, ne provinciâ vel urbe exportetur, sub pœnâ commissi, postea superiorum jure meritoque intercipere materiam ex quâ conficitur ea species, v. g. ferrum ex quâ arma, tabulas aut ligna ex quibus naves construantur. Conf. l. 2. C. qua res export. non deb. l. 7. pr. & §. 3. ff. ad SC. Maced. Guidon. Pap dec. 371. (2.) Prohibitâ specie v. g. frumento, intercipi posse, id quod ex eâ specie confectionum v. g. panem vel farinam. Vid. sup. Laud. Dn. D. Eauterbach pral. publ. ad t. de contr. emt. Tuld. ad t. C. qua res export. non deb. n. 4. qui eleganter addit: *Ita enim non modo frumentam, sed & labores civitatis exportari;* Et cautè addit, similes nihilominus prohibitions aliter interpretandas esse, si quâ arcana Principum prudentia materiæ alicujus evetionem prohibeat, v. g. lanæ, ut tantò magis elaboratarum ex eâ materiâ speciem evetio ad exteriores fiat, qui defecit materiæ idem artificium non resulgentur. (3.) Prohibitâ exportatione principalis censeri prohibitam quoq; exportationem accessoriū. Secutos id tradit Aut. tr. dej. intr. Gent. p. 1. f. 8. q. 9. & ibi cit. Petrin. Bell. de re mil. p. 9. n. 26. Duces in bello Cæsareo-Gallico, inter quos convenerat, ut quædam ultrò citròq; transmitti possent, exceptis armis cuiusque generis. Cum enim mercator inter merces centum aut 50. vaginas ad recondendos enses transferret, interceptus is, eò quod vaginis etiam, ut ensibus ad rem bellicam hostes instruantur. Credat, qui volet. Addi interim potest l. Cotem. 11. pr. ff. de publican. & velt. (4.) Prohibitâ exportatione victualium, intercipi posse & in commissum cadere omne id, quod quocunque modo ad eum potum vè pertinet v. g. salem &c. De herbâ Nicotianâ, quam Tabaco dicunt, sunt, qui querunt, affirmantibus nonnullis, quod & ea corpus nutriat, aut saltim ejus usu victualium consumptio protrahatur, (quibus addi posset, quod ex Mornade de Indis narrat Paul. Zachias in quest. Medico-Legal. l. 4. t. 1. q. 5. n. 50. eos ex Tabaci herbâ pillulas quasdam confiscere, quarum usu famem ac litim iter facientes triduo ac quatriduo sustineant; unam aut aliam inter inferius labrum inferioreisque dentes reponentes; eâ absuntâ aliam, atque inde aliam, donec peregrinationem absolvant triduanam interdùm aut quatriduanam,) eâdem igitur ratione nomine victualium venire debere, quâ sal quâ victualia à putredine servantur. Sed negant alii, eò quod, secundum multos Medicos, ejus herbae fumus

fumus non nutriat. Nos eam rem in medio relinquimus. Adi Aut. tr. de j. int. gent. p. 2. q. 12. secl. 8. ubi tempore belli inter Hispaniarum Regem & Ordines Belgas ob navim Anglorum herba Nicotianā onustam ad portum Belgarum destinata ab Hispanis interceptam, talem contoversiam incidisse ex commis. & prot. in Cur. Admiral. Angl. refert.

## XXVIII.

Circà pœnam refractariorum nec parentium ejusmodi edictis sciri adhuc debet, quod, quemadmodum nec alioqui sine dolo & proposito delictum committitur, ita nec quantum ad præsens, qui aut ex errore aut casu aliquo violento & fortuito, contra ea edicta venisse videntur, pœnam præstitutam promeruerint. Et adeò meritò dicendum, eum, qui ad loca non vetita merces vecturus, vi tempestatis aut errore viæ ad loca vetita perductus, non incidisse hōc ipsō in pœnam prohibitæ exportationis.

Conf. l. 16. §. 8. ff. de publican. & rect. Cic. 2. de invent. l. 20. § 3. ff. ad L.

Aquil. Aristot. 2. Ethic. Tulden. ad t. C. de vest. & commis. n. 5. Sed an v. g. deprehensus in itinere, violâsse censeri debeat edictum quod meritiū evēctio prohibetur? quæstionis est. Ubi quidem sciamus duplēcē ejus sensum esse posse, (1.) An is, qui cum bonis exportari prohibitis in itinere extra territorium ducente repertus, detineri & examinari jure meritōque possit, usquedum probet ac doceat se non extra territorium vecturum fuisse? (2.) An is, quem constat iter extra territorium destinâsse, deprehensus in itinere, & antequâm attigerit territorium alienum, promeruisse jam censeatur pœnam edictō prohibitoriō expressam aut infligi solitam ei, qui jam pervenit ad eum locum, quod portare non debat? Circa prius distinguendum putamus inter iter, quod immedia-  
tē extra territorium dicit, & inter iter, quod, antequâm ducat ex-  
tra territorium, prius ad locum intermedium in territorio dicit. In hōc  
deprehensum intercipi non posse putamus, cōd quod nulla contrā eum  
præsumtio militet. Sed illum posse non negamus, ob validissimam ex iti-  
nere, non aliò ducente, præsumptionem, quæ necessitatem ipsi & onus  
probandi imponit, se iter ad locum interterritorio destinâsse, aut errore aut  
quâ aliâ excusabili ratione hūc loci delatum. Quanquam dici possit, ex-  
teros cum mercibus exportari prohibitis ubicunque locorum in territo-  
riō deprehensor, detineri & examinari posse, utpote contra quos præsum-  
tio exportationis longè facilius inducitur. Conf. Grivel. dec. 81. allegat.  
& Tulden. ad t. C. quæ res export. non deb. n. 5. ubi etiam de eo, qui ab ini-

tio sui usūs gratiā exportavit, posteā verò, quia non indiget, partem vendidit, legem, exportationē in mercaturā gratiā prohibentem, non offendisse dicit, modo probaverit consilium utendi se habuisse, & causam ejus mutandi supervenisse. Eāque consilii probatione opus esse, quia in prohibitis contrahero præsumi soleat color quæsitus. *Posterior* quod concernit, affirmat id Nic. Boërius *decis.* 178. ubi nayim etiam, cum bonis prohibitibus in itinere captam, pro prædâ legitimâ adjudicatam resert. Alii forsitan rectius putant inspici debere verba prohibitionis, & distinguunt, teste Aut. *tr. de j. int. gent. p. 2. scđt. 8. q. 8.* inter casus, quibus poena refertur ad verbum præteriti temporis, (*si quis portaverit*) & tunc requiri actum consummatum; & quibus ad verbum præsentis temporis, (*si quis porret, vel repertus sit portare*) & tunc sufficere quod in itinere sit comprehensus.

## XXIX.

Quari porrò solet circà pœnam commissi, quodusque ea se extendat? Casus hic esto: Prohibita quarundam merciū exportatio sub pœnâ commissi, indeterminatè. Titius vehiculō aut navi, mercibus partim prohibitibus, partim licitis, onustâ, extrâ territorium tendit, ast deprehenditur: An in commissum cadet omne id, quod navi aut vehiculō impositum reperitur, immo ipsa etiam navis aut vehiculum? Sanè, si, sepositâ omni lege civili, rem decidere velimus, humanius dicitur præter illicitum nil fisco vindicari debere, si res licite possint commodè ab illicitis separari, cùm pœna non beat excedere culpam, quod & ipsa *l. 16. §. 2. ff. de publican.* & *vest. innuit.* Conf. *Afflīct. de Vestig. num. 65.* Sixtin. *de regal. 2. c. 6. num. 191.* Quod jus nostrum civile tamen attinet, expedita est decisio ex *l. 3. de naut. sœn.* & *l. 11. §. dominus. ff. de publican.* & *vest.* Adi Wiessenbach. *d. 15. ad ff. th. 25.* ubi de moribus Belgarum & Gallorum, quorum proverbium: *La robbe de l' ennemy confisque celle de l' amy.*

## XXX.

Desinit dominium eminens vel ratione subjecti, vel ratione objecti. Istud contingit quoties subjectum mutatur vel tollitur. Tollit solet per mortem, quō casu, nisi hereditaria sint imperia, istud ad integrum Reipubl. corpus eosrē, qui istud repræsentant, catenūs redit, ut integrum ei sit istud alii subjecto rursus sive conferre sive applicare. Quod similiter se habet in imperii derelictione, quāde Grot. *2. c. 3. n. 19.* & *2. c. 4. per tot.* Add. Dn. Conring. *tr. de fin. imp. c. 19.* Quæ rariū tamen in Demo-

eratiā contingunt. Mutatur subiectum, quando ei vivo aliud substituitur, quod contingit, quando quis bellō captus imperiō exuitur, &c. Ratione objecti desinit hoc dominium, quando totum subditorum corpus interrit, quod quomodo contingat expositum vid. ap. eund. Grot. 2. c. 3. num. 3. 4. seqq.

## XXXI.

Tandem ut ad nostram l. 9. C. de oper. publ. cuius gratiā institutum diximus hunc discursum, revertamur, verba ejus hæc sunt:

9. Impp. Theod. Arcad. & Honor. Augusti,  
Aurelian P.U.

SI QUANDO CONCESSA A NOBIS LI-  
CENTIA FUERIT EXTRUENDI, ID. SUB-  
LIMIS MAGNIFICENTIA TUA SCIAT  
ESSE SERVANDUM, UT NULLA DOMUS  
INCHOANDÆ PUBLICÆ FABRICÆ GRA-  
TIA DIRUATUR, NISI USQUE AD L. LI-  
BRAS ARGENTI PRETII ÆSTIMATIO-  
NES TAXABITUR. DE ÆDIFICIIS VERO  
MAJORIS PRETII AD NOSTRAM SCIEN-  
TIAM REFERATUR, UT, UBI AMPLIOR  
POSCITUR QUANTITAS, IMPERIALIS  
EXTET AUTORITAS. DAT. 3. KAL. MART.  
CP. THEODOS. A. III. & ABUNDANTIO  
COSS. 393.

Autores ejus sunt Impp. Theodos. Arcad. & Honor. AA. rescribentes ad Aurelianum Praefectum Urbi, de ædificiis inchoandæ publicæ fabricæ gratiā diruendis. Erat Praefectura Urbicaria potestatis quædam species, Regibus Rom. coœva, ab initio quidem temporaria & extraordinaria, sub Augusto verò & seqq. Impp. ordinaria & perpetua, in tantam evencta dignitatem ut reliquis præstaret ferè omnibus. Vid. l. 3. C. de off. P.U. Nov. 62. Nov. 56. h. text. ibi: Sublimis Magnificentia tua. Èi qui gaudebat Praefectus Urbi, item Urbis custos, πολιάρχης, ὁ τῆς πόλεως ἐπαρχης, πολιάρχης τῆς πόλεως, vocabatur. Ejusque potestatis officium exhaustit JCTus in l. 1. §. 4. ff. de O. P. U. ubi ex Epistolâ Severi ad Fabium Ciloneum P. U. misse, Vrbem, inquit, fidei ipsius commissum esse, & adeo

quicquid intra urbem admittitur, ad eum videri pertinere; sed & si quid intra centesimum milia admissum sit, ad eum pertinere. Urbem, ait, quâ voce propter excellentiam urbem Romanam innui, in vulgus notum est. Et ei quidem soli antea dabatur Praefectus; Ast novâ Româ, CPoli, Romæ veteris æmulâ, surgente, suos quoque ea proprios Praefectos nacta. Ad prædictum autem Aurelianum P. U. Scripta hæc nostra lex, quia circa destructionem adiutoriorum inchoandæ publicæ fabricæ gratiâ disponit, & verò præter præfatum annonæ, vigilum, comitem formarum, & quamplurimos alios, sub Praef. U. dispositione erat etiam Curator operum maximorum, Curator operum publicorum, statuarum & horreorum. Vid. *absolutissimam hanc de re disp.* Dn. D. Strauchii, *Praecept. olim nostr. in Acad. Sal. habit. de Centum Lapp. suburbic.* Species autem text. hæc est: Inchoanda erat publica fabrica, h. c. opus publicum sive structura usum publicè præbitura, qualis sunt moenia, portus, porticus, balnea, theatra & similia. Locô tamen in quô inchoanda, privatorum domibus jure aut occupatô aut angustatô. Iure, inquam, scil. ex concessione & indulitu Principis quæsitô. Eò enim opus l. 15. l. 20. C. b. t. & ibi Perez. n. 5. id quod & innuunt verba initialia h. text. Si quando concessa à nobis licentia fuerit extruendi. Nisi inavis referre ea verba ad extictionem publicæ fabricæ, quam inchoari absque Principis prescritu non potuisse testatur l. 5. C. b. t. Dubitari poterat quid agendum, cum natura suadeat neminem laedi debere, sed jus cuique suum salvum relinqu; huic autem summas etiam potestates, saltim quâ homines, subsint. Elegans & Imperatore digna vox Marci ad Ælium Marcianum: *Dominorum potestatem in servos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrahiri* in l. 2. pr. ff. de hū, qui sui rel. al. jur. & §. 2. l. eod. & Justiniani in l. ult. C. de pact. in fin. *Sextam suorum temporum non pati in alienis rebus contra Domini voluntatem aliquid fieri.* Accedebat quarundam domuum, fabricæ inchoandæ obstantium, pretium, quod 50. libras argenti excessisse colligere est ex text. Quas sanè dirui ac prosterni arduum Praefecto U. videbatur. Rescribunt Impp. his nil obstantibus dirui debere quicquid intra 50. libras argenti taxabatur. De reliquis verò majoris pretii ad suam scientiam referri. Quô autem hoc jure? Nempe eminentis dominii, quô Impp. gaudebant, vi cuius poterant, suadente utilitate & necessitate publicâ, privatis sibi subjectis jus undecunque quæsumum detrahere, minuere, auferre. Quare autem tam diversimodè & pro ratione

tionē pretiū prescribant, ratiō est, quod deliberaṇdū sibi duxerint tanto  
domūm pretiō rēperto, an expedit & æquum sit utilitatem publicam,  
tantō, forte longē majori, impediō redimere. Cum enim utilitatis qui-  
dem publicæ gratiā exerceri possit emītens dominium, sed oporteat tam-  
en eam damno inde emersuro esse proportionatam, contingere forte  
poterat, ut premium diruendarū domūm longē excederet estimatio-  
nem utilitatis publicè indē emergentis. Et hoc igitur supra diximus, aut  
necessariō aut saltim tutiū à Magistratu, actum eminentis dominii exer-  
cituro, ad summum Principem referri, ejusque speciale Mandatum expe-  
ctari, ubi actus exercendus majoris forte momenti, & cum majori im-  
pendio conjunctus fuerit. Quodsi igitur dirutum quid inchoanda pu-  
blicæ fabricæ gratiā fuerit, qui consuletur privatis ob damnum quod ex-  
inde sine dubio sentient? Nihil quidem hāc de re in textu nostro ulterius  
additur, sed aliunde supplendum, ubi dicitur, ejus rei gratiā resarcitionem  
fieri debere. Quodusque autem & quomodo, suprà diximus. Hic repe-  
tere nihil attinet, sed manum de tabula! Precamur interea ve-  
niā, sicubi, quod desiderabat forte nobilissima hāc materia,  
non curatē satis & exactē omnia persecuti fuisse videbimur.  
Justō etenim, non volumine, sed discursu, nos rem expositu-  
ros suprà promisimus. Discursu, ajimus, scil. Academicō  
& quem parere poterat ingeniolum, tantillā & temporis, &  
ætatis, & librorum, sed & rerum experientiæ supellec̄tile cir-  
cumscriptum, quæ eorum solet esse penuria, qui amore sci-  
entiarum exules, majoraque & limatoria forte daturi,  
ubi & D E U S & dies desideriis  
responderint.

D. T. O. M.

GLORIA!

Glo-

Gloria S' acquista per travagliarsi  
in opere Virtuose.

**S**o/so trifft man den Zweck/wohin die Tugend zielt/  
So thut ein edler Sinn/der hier nach Ehren tracht/  
Und siehn will/wo die Sonn mit ihrem Golde spielt/  
In dem Er sucht/was uns den Göttern ähnlich macht.  
Wie Ihr mein Freund! auch thut; Ihr habt bisher getrieben/  
Was Euren Adel ziert; Nun seyd Ihr auch bedacht  
In freyen Künsten und in Rechten Euch zu üben/  
Wie uns dann diese Schrifft ein Zeignuss dessen mache.

Zu Bezeugung guter Affection  
schrieb es in Tyl

Tübingen im Fürstl. Collegio  
den 2. Tag Februar. 1662.

Leopold Philipp Wilhelm/  
Wild und Rheingraff.

**D**er Aon freuet sich/und seine Burgerinnen/  
Das zarte Musenvolt beliebet sein Beginnen/  
Herr Bischoffwerther! iczt/und Ich vor meis-  
nen Theil/  
Wünsch Ihm zu seiner Ehr viel Glück und alles  
Heyl.

Bey dem Abzug auf der Fürstl.  
Ritterschul hinclich es

Leonhard Johann Wittenberg/  
Graff in Neuburg/nc.

